



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

30 Distributiones quotidianae non computantur in fructibus  
praebendarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

per obitum vacantium, & ad Episcoporum collationem spectantium, dummodo super parochialium fructibus, remaneant ducati centum liberi pro rectoribus, ut per concil. Trid. in cap. 13 de reform. sess. 24. & super alijs beneficiorum fructibus non imponatur, neque super distributionibus quotidianis, super quibus regulariter non imponitur, imposita censetur, ut trad. Menæ in tract. de distrib. quot. cap. 8. num. 1. & 30 num. 11. par. 3. ratio enim, quia distributiones quotidianæ non computantur in valorem præbendarum, ut per Oldrad. in conf. 118. quem sequitur Felyn. in cap. ad aures. num. 14. de rescript. nec, quæ excedat tertiam partem fructuum, quia præsumpta voluntas Papæ videtur esse regulariter, quod pensio non excedat tertiam partem fructuum beneficii gravati, ut testatur Gig. in eod. tract. de pens. quest. 9. n. 6. & 7. & Staphil. de commiss. liter. just. §. in primis igitur, numer. 90. Nam juxta juris communis dispositionem, ac stylum curiæ Romanæ, fructuum medietatem excedere non debet, Rot. in novis. decis. 1260. nu. 1. parte. 3.

Et licet rarò Episcopi super beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem spectantibus reservent pensiones, puto tamen, in casibus, & modis supra expressis pensiones auctoritate ordinaria ab Episcopis posse validè reservari, sed in pluribus differt reservatio Apostolica, à reservatione auctoritate ordinaria facta.

3 Primò, quia pensio quæ auctoritate Apostolica reservata transit ad successorem in beneficio, reservata autem auctoritate ordinaria, non, nisi ex causa extinctionis litis fuerit reservata, de qua supra vers. secundò pro. sed decedente, vel cedente eo,

qui reservationi pensionis consensit, reservatarius contra successorem non obligatum caret actione, quia non transit ad successorem. gloss. in cap. audivimus. in ver. pensionem, de collus. deteg. Joann. Bapt. de Sancto Severino, in tract. de pens. qu. 4. & Gomel. in compend. utriusque sign. numer. 86.

33 Secundò quæ Papa reservat pensiones quandoque, licet rarissime cum facultate transferendi, inferiores autem, non, sed tantum ad vitam eorum, quibus reservantur. Gig. in eod. tract. de pens. qu. 6. num. 3. & qu. 12. nu. 2.

34 Tertiò cum super solutionibus pensionum plures lites oriri contingat, quæ lata sententia favore pensionarii, cui pensio Apost. auctoritate reservata fuit, mandatur executioni, & non admittitur appellatio ad effectum suspensivum, sed tantum devolutivum, quo casu signatura ad quam pro commissione causæ appellationis recurritur causas committit cum clausula, sine retardatione solutionis pensionis, & in pensionibus auctoritate ordinaria reservatis causa committitur, tam ad effectum suspensivum, quam devolutivum absque dicta clausula, sine retardatione solutionis pensionis. Ratio enim diversitatis adducitur, quia inferiores à Papa non possunt, nisi in certis casibus, & causa expressa, imponere pensiones, quæ non transeunt ad successores, & dubitari potest, an pensio imposita fuerit, ex iusta causa, & in casibus permissis, quapropter non est juri consonum, quòd illicò sine aliqua discussione habeant executionem paratam, quæ sed in reservatione à Papa facta, cessat omne dubium, quin valeat, & ideo statim sententia lata debet executioni deman-